LAI
IA.
I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Comentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO XII.

De

Mansuetudine & cognatis virtutibus.

Qvam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

CHRISTOPHORUS JASCHIUS,

Colberg. Pomer.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Octobr.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

VIRO

Integerrimo ac humanissimo,

Dn. NICOLAO Pegelowen/

Mercatori Gedanensi conspicuo.

Dn. Amico, Hospiti, ac Conterraneo honoratissimo & charissimo.

UT ET

Magni Parentis egregiis Filiis,

VIRO JUVENI,

Præstantissimo ac Doctissimo,

Dn. VALERIO JASCHIO,

Studioso Argentoratensis Academiæ p. t. Solertissimo.

&

Eximiæ spei atq; indolis Adolescenti,

Dn. JOACHIMO JASCHIO,

Literis in Lyceo adhuc patrio gnaviter invigilanti.

Fratribus suis, ut mellitissimis, ita oculatissimis & suavissimis,

Dat, dedicat

Illis omnibus addictissimus,

Christoph. Jaschius.

Respond.

EXERCITATIO XII.

De
Manſvetudine & cognatis virtutib.

Fuit *Virtus actionem noſtram* erga alios moderans, Juſt. particularis. Seqvitur *Virtus aliorum erga nos* actionem moderans, qvæ *Manſvetudo* vocatur, & cognatas virtutes *clementiam, lenitatem, tarditatem, patientiam, longanimitatem, mititatem*, placabilitatem, complectitur. De qvà porro jam videndum.

2. *Manſvetudinis vox interdùm* generaliter ſumitur, etiam pro naturali placiditate, qvomodo beſtia manſveta & fera dicitur, & hominem manſveti ingenij vocamus: *Interdùm ſpecialiter, pro* habitu placidum iræ affectum reddente. Et hoc *dupliciter, vel* in malam partem, pro lentitudine, ubi in defectu peccatur, *V.t.15.Vel* bonam, ubi medium prudentiæ ſervatur. Sic hic ſumitur. *Etymologia* à manu & asſvetudine ducta eſt, ut denominatio à brutorum ferorum cicuratione ſumpta videatur, qvæ manuum permulſione & fræni reductione miteſcunt. Dicitur & *lenitas*, interdùm *lentitudo*, ſanfftmuth/ gelindigkeit/ Gr. πρᾳότης.

3. Tractatio ejus *reali poſitione, definitione, objecto, diviſione, & oppoſito conſtare poteſt.*

4. *Realis poſitio* eſt, qvà reverà datur, & diſtincta ab omnibus particularib. virtutib. ſpecies eſt. Hoc enim negant, qvi ad temperantiam aut affine qvid eam reducunt, *ut Pavonius d. 3. Eth. q. 4. t. 5. Thomas Sec. 2. q. 141. & 157. Raconis d. virt. q. 2. a. 2. Euſtachius S. Pauli p. 3.*

Eth. s. 4. d. 2. q. 2. Lessius l. 4. d. 5. & 5. c. 4. d. 3. Riedt Eth. nova p. 224. & alij. Contrarium patet *1. Qvia* distinctum objectum ab om. aliarum virtutum objectis hic est, ira, circà qvam moderandam mansvet. versari debet. *t. 6.* Et distinctus actus virtuosus ab aliis est. E. & distinctum habitum esse oportet. *2. Qvia* communiter Ethici distinctam ab aliis virtutem eam agnoscunt, ut *Arist. 4. Nicom. C. 11. Et 1. Mag. Mor. C. 28. & l. d. virt. & vitiis, Et l. 3. Eudem. c. 8. Guthius d. 13. Eth. Elerus d. 9. Eth. Piccolomin. grad. 4. C. 51. Keckerman. l. 2. Eth. C. 8. Alstedius Eth. 1. C. 17. Eth. 2. C. 16. Eth. 3. C. 21. Bartholin. l. 2. Eth. C. 8. Zapfius di. Eth. 27. Ethica Mauritiana, Goltus, Heilandus, Reijerus, Heiderus, Hornejus, alijq́.*

5. Definitio est, Virtus mor. directa mediocritatem prudentiæ in irascendo servare faciens, ut in irâ & vindicta decenter nos geramus. Genus & mediocritas ex *d. 4.* patent. Cœtera ex modo versandi & objecto sumpta. *Modus* versandi in medium prudentiæ in irascendo servare est, cum nec plus, nec minus irascitur, qvàm par est, & res reqvirit.

6. Fiet hoc, si consideretur *1. Objectum,* cui irascendum, Qvod sit vivum qvid, non inanimatum, ut culter, gladius, liber; aut mortuus, nam cessat post funera livor, & morte odia finiuntur: Rationis compos, non brutum, qvod voluntariè peccare neqvit: nec mentis inops, qvi commiserationem, non iram, meretur, & injuriam propriè dictam inferre non potest: nec infans, qvi proæreticè peccare neqvit: improbus & malus, non bonus, & qvi benè de nobis aut aliis mereatur, is enim gratiam, non iram, meretur: pertinax & voluntarius, qvi ex intentione peccat, qvemq́; nec pudet, nec pœnitet, non

casu,

casu, impetu, imprudentiâ, qviq; pœnitet & culpam deprecatur, Huic enim facilè ignoscendum, cum & nos ad labendum prompti simus, Deusq; multa qvotidiè nobis ignoscat: Inferior aut æqvalis, non superior, huic enim reverentia debetur, non ira. 2. *Tempus*, qvo inchoari & continuari ira debeat. Non irascendum sub feriâ *aut publicâ consultatione*, ira enim rationem ligat, & hominem furore æstuare facit. *Non sub concione*, hæc enim attentionem, nô iratam commotionem meretur, *solenni aliqvâ panegyri, publicâ lætitiâ aut exhilaratione*, Ut nuptiis, conviviis, tùm enim lœtandum, non succensendum, nisi urbanitatis & decori ratio arroganter ab alio violetur, & res moram aut dilationem commotionis ferre nolit: *Punitione*, cum pœna de qvodam sumenda, tùm enim ira affectata est crudelitas: *Nec ultrà debitum* ira producatur vel alatur, ne in odium & furorem abeat, sed abrumpatur. *V. Senecæ libros de ira*, *Plutarchum*, *aliosq́*.

7. 3. *Modus*, *qvo irascendum*, ut cum honestâ proportione omnium circumstantiarum fiat, ratio honestatis, intellectus nostri, delicti & delinqventis, & pœnæ ac vindicantis habeatur, *ut honestas velut regula moderans iram sit*, *Ratio* in irascendo non vel in totum exuatur, & vindicta tãtùm qværatur & intendatur, inimicitiæ serantur & exerceantur, reconciliatio non curetur nec admittatur, vel per iram anticipetur, ut in iram proruatur, priusqvam causæ & circumstantiæ cognitæ vel ponderatæ fuerint, tùm enim ratio turbatur affectu iræ, ut se colligere causamq; sufficienter cognoscere neqveat. Undè præcipitantia ad iram vehementer hìc cavenda. Sic *Athenodorus* Augusto consilium dedit, ut priusqvàm irasceretur, alphabetum mente decurreret, & *Ambrosius* Theodosio, ut

orationem Dominicam priùs recitaret, qvàm in iram prolaberetur. *Alsted. Eth. 1. c. 17. Et Plato* iratus servum cœdere volens retraxit se, & cœderē te, ait, nisi iratus essem. *Item* ut delictum attendatur, ne ira illud excedat, & major pœna, qvàm culpa sit, sed perpetua inter illas æqvalitas sit, undè crescentibus delictis crescere pœnæ possunt, sed non excrescere aut excedere, aut genus earum planè mutari: *Et personæ vindicantis* ratio habeatur, ne illicitæ privatæ vindictæ amore procedat, sed publica prudenter attendatur.

8. *Vindicta enim debita & moderata licita*, qvæ officii ac defensionis, *Indebita & immoderata*, qvæ affectus ac offensionis est, illicita. Debita *vel publica est*, qvæ authoritate Magistratus fit, *vel privata. Per publicam Magistratus, an licitè injuriam vindicare Christianus possit*, qværi solet? Negant enim id *Photiniani* in N. T. Christiano licere. *V. Smalcium de div. Chr. c. 5. Et con. Frantz. d. 6. d. reb. civ. se. 2. Et d. 7. d. bon. op. t. 103. 104. Cat. Racoviens. major. C. 1. Ostorodus C. 26. Inst. Stegman in proba, C. 11. Socinus co. Paleolog. p. 2. n. 17. seq. Et p. 3. C. 2.* Et paucis in *Ep. ad Squarcialup. p. 21. Et L. qvod Evangel. c. 3. Anonomus* von Hoheit *Christi C. 5.* Qvibus consentiunt *Anabaptistæ. V. Pontanum c. 1. Catal. hær. Et Weigelius Dom. 22. post Trin. aliiq;*. Falsò omnes. Magistratus enim vindex in pœnam malefici est. *Roman. 13. v. 4. 1. Pet. 2. v. 14.* Et non frustrà gladium gerere debet. Si vindicta ejus legitima, E. & justè à Christiano postulari potest. Qvod enim Magistratus jure exseqvitur, id, ut exseqvatur, Christianus jure postulare potest. Et Magistratus *subditis in bonum* constitutus est, *c. l.* Nempè ut bonum publicum promoveat, justitiam administrando, justos defendendo, sontes puniendo. E. *hoc* bo-

num

num Christianus licitè adhibere & implorare potest. Et Christus in parabolâ *Matth. 5. v. 25. Luc. 12. v. 58.* accusantem ad judicem probat, non damnat, tantùm conciliandi promptitudinem commendat, itemq; *Paulus 1. Cor. 6. v. 5.* vult esse inter Christianos, qvi inter fratrem suum judicare possint, non coram Ethnicis Christianos litigare vult. Si hi esse debent, E. & judicium eorum in vindicando injuriam implorari potest. Sic Paulus ad Imperatoris judicium in vindicandâ iniqvâ Judæorum censurâ provocavit, *Act. 25. v. 10. C. 28. v. 19* Et ad jus civitatis Romanæ, *C. 16. v. 37. C. 22. v. 25.* E Christianis n. Judex tùm non erat.

9. *Dices 1. Christus jubet* non resistere malo, non vindicare injuriam, *Matth. 5. v. 38. Luc. 6. v. 29.* E. nec vindicta injuriæ per Magistratum postulanda. *R. Non est* vindicanda injuria à temetipso, turbis enim, Apostolis, & auditoribus ista dixit Christus, qvi omnes privati erant, qvorũ non est, injurias vindicare, sed tolerare: *Non autem Magistratibus*, qvorum munus per id Christus non abstulit, *non enim solvere legem, sed implere venit, Matth. 5. v. 17.* In lege autem Magistratus officium & status à Deo jussus & institutus est. *Devt. 16. v 18. Exod. 22. v. 9. C. 23. v. 6. Devt. 25. v. 1.* Et vindicta ergò ei adimi neqvit: Sed Magistratui id cõmittendum, qvi injuriam vindicabit, & sic innocentem defendet. Is enim vindex ad iram à Deo constitutus *est, t. 8.* Ejusq; judicium Dei judicium est, *Devt. 1. v. 17. 2. Chron. 19. v. 6.* Deusq; ipse in medio Deorum judicat, *Psal. 82. v. 1.* Et cum Magistratus non habetur, aut officio suo deest, tum injuria privato omninò ferenda, & sic malo non resistendum est. Sic Christus Corpus percutiendum præbuit, *Esat. 10. v. 6.* Et vindictam Deo justè judicanti commisit, *1. Pet. 3. v. 23.* Qvod Christiano imitandum.

2. Chri-

 2. *Christus vetat* in judicio litigare, & si qvis te in jus trahere velit, ei & pallium permitti debere jubet, *Matt. 5. v. 40.* E. magis vindictam Magistratus improbavit. R. *Priùs omnia tentanda* sunt, ut & cum damno nostro potiùs aliqvid concedamus, qvàm ad judicium præcipitetur, Corâ qvo contendere majora incommoda qvandoq; seqvũtur, qvæ minoribus damnis anteverti possunt. Benevoli adversario esse debemus, ne judici nos tradat, *v. 25.* Ubi judicium probatur, sed promptitudo conciliandi svadetur. *t. 8.* 3. *Paulus* potiùs injurias ferre, et fraudes admittere, qvàm judicia exercere docet, *1. Cor. 6. v. 7.* R. Qvàm judicia *apud infideles Christianum exercere* docet, hæc enim eum dedecent: Non autem absolutè judicia reprobat, sed vult *ex ipsis Christianis inter Christianos judices eligi*, qvi de causis illorum cognoscant, ne apud gentiles Magistratus litigare cogantur, qvod suspectam religionem Christianam facit. Secùs ipse ad Cæsarem provocavit, qvia ex Christianis judicem habere non potuit, *t. 8.* Et ipsi Corinthij Christiani sese frandabant & damnis afficiebant, ac sæpè de leviculis injurijs apud infidelem Magistratum contendebant. Hoc *Paulus* improbat. 4. *Caritas* delicta tegit ac operit, *Prov. 10. v. 12. 1. Pet. 4. v. 8.* Et inimici diligendi sunt, *Matth. 5. v. 44.* E. non vindicta de illis postulanda, vel per Magistratum procuranda. ℞. In privatis offensionibus operiendum, ferendum, tolerandum, *1. Cor. 13. v. 7. Colos. 3. v. 13.* In publicis & damnis gravioribus, qvæ salvâ disciplinâ ac tranqvillitate publicâ tolerari vel mitigari neqveunt, Magistratus suum agere, & bonos tueri, malos vindicare, debet. Eò enim positus est. *Rom. 13. V. t. 8.*

II. 2. *Qværitur, an mansvetudini in Christianis in N. T. conveniat, Magistratum in facinorosos gladio animadvertere?* Hoc iterùm *Photiniani* negant. *Ostorodus C. 28.*

Inst.

Inst. *Smalcius* *C. Frantz* *d. 6. d. reb. civil. & disp. 7. d. bon. op.* *Et Anabaptistæ in Colloq. Frankenthal.* Qvanqvam *Menno in fundam. p. 231. seq.* Jus gladij Magistratui largiatur, Consentit *Weigelius in 22. p. Trinit. & Dom. Viridium*, Ex antiqviorib. *Lactantius L. 6. div. Inst. C. 20. aliiq́.* Falsò & hoc. *1. Qvia* generale Præceptum in N. T. non abrogatum est, qvi Sangvinem humanum fundit, ejus Sangvis iterùm per hominem effundetur, *Gen. 9. v. 6.* Nec comminatio & prædictio hic, ut *Photiniani* regerunt, sed præceptum & institutio est, qvid fieri debeat, ut adjectæ rationes, cur sanguis fundendus, docent, Qvia Deus reqvirere velit sangvinem hum: cœdem qvacunq; ratione infallibiliter vindicare, ut homicida ultionem non effugere debeat, etiam de manu bruti, ut nec brutum impune hominem occidere debeat, Etiam de manu viri fratris, qvicunq; nempè homo fuerit, qvi ut frater fraternè cum altero vivere debet, non ut latro eum occidere, & si Magistratus non sciat aut curet cœdem, Deus extraordinariè eam per seipsum vindicaturus sit, & qvia ad imaginem Dei homo factus sit, qvæ imago non potest impunè destrui ac lœdi, nam lœsâ ipsâ ipse Deus lœditur, qvod sinè vindictâ relinqvi non debeat. *Et si* prædictio futuri hic esset, quadantenùs falsa esset, cum non omnium homicidarum sanguis iterùm fundatur, sed sœpiùs homicidia ignota, & in hac vitâ impunita maneant. *2. Quia* in N. T. peculiariter à Christo repetitur. Qvi gladium sine vocatione, privato ausu, & temerè ad id sumat, eum gladio periturum, *Matth. 26. v. 25.* Indeq; Petrus, ut non Magistratus, sed privatus & Apostolus, demonetur, ne gladium usurpet, ne iterùm in gladium Magistratus divinitùs illi commissum, *Rom. 13. V. 1. 8.* incurrat. Hoc particula omnis docere possit, verendum

 nempè

nempè, ne jus illud incurratur, etiamsi de facto Magistratus interdùm conniveat aut dormiat, & gladium in promeritos non stringat. 3. *Qvia* Magistratus & in N. T. gladium non frustrà gerere dicitur, sed vindex in malum dicitur, *Rom. 13. V. t. 8.* E. & eum in qvosdam stringere licebit. Et indifferenter de omni Magistratu id dicitur, non ad gentilem determinatur, ut verba docent, *v. 1. 2. 3.* Indeq; terrori malè agentibus esse dicitur. Et potestas gladio armata *Dei ordinatio, & Magistratus Dei minister* vocatur, ut non qvid faciat, sed qvalis potestas ea sit, describat Apostolus. *De oppositis* in discursu videbitur.

12. 3. *Qværitur, An mansvetudini Christianæ N. T. consentiat, in hæreticos capitaliter animadvertere?* Affirmant *Papistæ. Bellarm. L. 3. d. Laic. C. 21. Thomas 2. 2. q. 11. Valentia T. 3. d. 1. q. 11. Tholosanus C. 12. d. Rep. c. 4. Bannes in Thom. Lessius, Costerus Apolog. c. Gomarum,* Et ex Reformatis *Calvinus pecul. libro, Aretius in histor. Valent. Gentilis, & Beza l. d. hæret. aliiq́,* plerisq; tamen contradicentibus: Qvanqvam *Zanchius* omnes ferè è suis hoc sentire dicat, hæreticos gladio puniendos esse, *T. 2. miscell. C. d. Magistratu.* Nos negamus. *Partìm* enim Ecclesia Christiana à mansvetudine commendatur, *Esai. 2. v. 4. C. 2. v. 6. seq. Mich. 3. v. 3.* Eaq; virtus peculiari Christi mandato & exemplo proponitur, *Matth. 11. v. 28.* Et Apostoli ignem ac cœdes in Samaritanos spirantes ad eandem à Christo revocantur, ut cogitent, cujus Spiritus filii sint, *Luc. 9. v. 55. Partìm* nuspiam tale extirpandi genus à Christo aut Apostolis præscriptum est, sed longè aliud, fugiendi & devitandi hæreticos, probandi Spiritus, & attendendi doctrinis, excommunicandi, *Rom. 16. v. 17. Act. 20. v. 30. Phil. 3. v. 20. 2. Tim. 2. v. 24. C. 4. v. 2. seq. 1. Tim. 1. v. 20. Tit. 3. v. 10. 1. Joh. 4.*

v. 1. 2. Joh. v. 10. Et Zizania relinqvi à Christo jubentur, non extirpari, ne simùl & triticum extirpetur, *Matth. 13. v. 30.* Vbi per Zizania inprimis hæreticos intelligi scopus & circumstantiæ parabolæ, multiq; Patres, ut *Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus,* docent, nec *Spiritus Christi sanguinem hominum, sed conversionem, sitit, quia mitis & mansvetus est,* ut Christus ipse, *Matth. 11. Dices: Mansvetudo docet etiam, ut Ecclesia filiorum suorum misereatur; secus immitis esset, si magis lupis, quàm ovib. parceret. Et experta est priùs alias rationes reducendi hæreticos,* priusquam ad ultimum capitis supplicium procedat. Per quod satis servatur mansvetudo. R. *Satis miseretur Ecclesia filiorum,* cum ostendit, notificat, & vitari jubet hæreticos, nec ob id parcit lupis, etiamsi non occidat, non enim hoc facere tenetur, sed relinquere eos: Et alias rationes reducendi eos experiri debet Ecclesia exemplo Christi & Apostolorum, nunquam autem ad capitale supplicium procedere. Hoc enim cum mansvetudine ejus pugnare etiam *Augustinus* observavit, ut *Bellarm. c. l. c. 21.* fatetur. *Et nulli bono in Cathol. Ecclesia id placere dicit Idem l. 3. C. Crescon. c. 10. Si ad mortem usq; in quenquam, licet hæreticum, sæviatur.*

13. *Vindicta privata est, quæ à privato in privatâ causâ exercetur,* ut cum pater in domo peccata liberorum & servorum vindicat, aut aliquis injustè ab invasore occupatus *è vestigio cum moderamine inculpatæ tutelæ vitam suam ab injuriâ vindicare tenetur,* quo in casu vindictam licitam esse necessaria vitæ defensio, quæ juris naturalis est, docet, & pleriq; concedunt. Quanquam ex *Pontificijs* quidam ultrà hoc extendunt, & etiam pro defensione *rerum & bonorum, honoris, famæ,* aut si quis sciat, alterum falsum testimonium apud judicem de te dicturum, alium occidi posse sentiunt,

ut *Na-*

ut *Navarrus*, *Antoninus*, *Sylvester*, *aliiq.* Quas sententias incongruas in Christianismo esse melius vidit ex iisdem *Lessius l. 2. d. just. c. 9.* Et ex nostris *Meisnerus p. 3. Ph. sob. s. 1. c. 6. q. 6.* Qui videantur.

14. *Objectum mansvetudinis internum appetitus irascendi & ipse iræ affectus, Externum omne iram concitans est.* Ut damnum, injuria, contumelia, mendacium, fraus, &c. Et in his vocatur *lenitas*: Item vindicta & pœna ipsa, & in hac moderandâ *clementia* vocatur, Virtus Principibus & Magistratibus valdè necessaria. *V. Marlianum the. Polit. c. 3. Senecam libris de Clement.* Secùs ac *Machiavellus* vult, qui damnosam Principi statuit, & sævitiam commendat. Contra quem latè agit *AntiMachivell. l. 3. th. 8. 9. seq.* Et exercebitur mansvetudo, *Si causæ irascendi considerentur, Objectum, cui irascaris, V. t. 6.* Circumstantiæ attendantur, tempus, locus, *c. l.* Mandata Dei cum severâ comminatione conjuncta, *Matth. 5. 6. 18. Luc. 6.* Ipsumq; Dei exemplum, naturæ generositas, virtutis utilitas, crudelitatis damnositas, aliaq; diligenter attendantur, ut *alibi* plura.

15. *Divisio ejus in lenitatem, placabilitatem, tarditatem, patientiam, longanimitatem, & clementiam est. Lenitas est,* cum iram provocantia miti animo superantur, & ab irâ inordinatâ temperatur. *Placabilitas*, quando offensæ facilè remittuntur, & oblivioni traduntur; *Tarditas*, cum consideratè ad irascendum proceditur, non præcipitatur. *Patientia*, quando injuriosa tolerantur & superantur, non ad vindicandum statim proruitur. *Longanimitas*, quâ ira sedato animo fertur, ne nobis ipsis noceat. *Clementia*, quâ vindicta ac pœna ipsa mitigatur, non exasperatur. *t. 14. Opposita excessus* sunt, ut iracundia, vitium morale in irascendo modum excedens, & defectus, lentitudo ac stupor, conniventia, ac indulgentia, &c.